

*Et liberare ex his doloribus & periculis: nullum das bonæ spei signum: Sed quasi nullam amplius curam ageres mei, subducis te ex meo conspectu p. 371. & p. 373. Non sentio aliquod levamen aut solatium, quod animum tranquillum reddat.*

§. VIII. Sed privatio illa aut carentia sensus bonorum spiritualium otiosa non est, ac potius cum actibus variis, naturæ humanæ adversis aut molestis conjuncta. Nempe sicut status ipsius damnationis ex parte Intellectus importat cognitionem ejusmodi, qua homo Deum cognoscit quidem ut Dominum summæ Majestatis, sed a se gravissime offensum, ut judicem severum, sed ideo peccatorum suorum vindicem rigidissimum & irreconciliabilem; *se ipsum* quoque cognoscit ut mali istius & contractæ iræ divinæ causam, per peccata videlicet, quorum atrocitas & multitudo obversatur animo: sic prægustus damnationis importat analogam quandam cognitionem Dei & sui ipsius, qua homo nondum quidem in termino constitutus, tamen in via ad terminum tendens, Deum ut a se offensum sibi que infensum cognoscit, seque adeo ut peccatis maculatum & obrutum, suæ miseriæ auctorem, rejectum ideo a Deo aut desertum, neque in gratiam recipiendum, intuetur, jamque futuræ plenioris infelicitatis velut imaginem quandam contemplatur.

§. IX. Sic *Jobus* cap. XXX, 20. & 21. *tanquam in inferni flammis constitutus* (ut *B. Brentius* annotat) Deum ipsum alloquens queritur: *Clamavi ad te, & non exaudis me, steti coram te, & non animadvertis super me, mutatus es mihi in crudelem, robore manus tuæ adversatus es mihi*, quæ verba *Joh. Oecolampadius* in exegematibus suis ita παραφράζει: *Non solum preces meæ non mitigant, sed etiam exasperant te, ita ut crudeliter ac ἀνελεημόνως in robore manus tuæ, id est, ut Græcus vertit, χειρὶ κατὰ δαίαια manu valida, adversarium te mihi præbeas, me percutiendo ac flagellando. Et non solum, licet miserrimus sim, apud te misericordiam non invenio, sed etiam pessime tractor.*

§. X. Quod autem ad actum intellectus, quo homo ad seipsum reflectitur, attinet, dicitur 1. *Job. III, 21. hominem a suo corde*

corde